

dimus, prorsus abhorret. Praeterea quoniam corporum ea tantum viua nominat, vbi motum quendam sub sensus cadentem deprehendit, ad qualemcunque vitae diuinae ideam aegre ascendisset, nisi documenta extarent, e quibus, quanta numinis agitatio sit, velut oculis cerni posset. Neque falsa iccirco notio ista censenda est, atque a philosophorum subtilitate prorsus aliena. Nam qui commodam esse expeditamque *gloriae diuinae* in externam et internam distinctionem fatetur, ille vero vitae absolutae discrimen et relatiuae non improbabit. Magnam enim vtriusque similitudinem deprehendet, qui hac in re contentionem facere voluerit

§. V

Scholasticorum de vita Dei sententia

PERAGRATIS nouae philosophiae campis amoenioribus, ad *Scholasticorum* dumeta paullulum, si placet, diuertamus, et, quae fuerit eorum de vita Dei sententia, paucis audiamus. Sed diu ibi non commorabimur, cum sit molestum per se, in tenebrosos locis diu versari, tum vero M. ANDREAS GERET,¹¹ ordini philosophorum Vitembergensium tum ascriptus, superiori saeculo de vita Dei ita egit, vt cum cura et diligentia Scholasticorum decreta, quae eo pertinere videbantur, colligeret. Quorum quotiescunque libros euoluo, illud GROTII¹² verissimum esse video, *quantum ingenio valeant, saepe ostendisse; sed in infelicia et artium bonarum ignara saecula incidisse.* AC THOMAS quidem AQUINAS, scriptor de schola, iudice VIVE,¹³ omnium fanissimus ac minime ineptus, cuius e fontibus alii postea hauserunt, de numinis vita multa acute differuit, suisque explanatoribus viam patefecit ad distinctiorem eius commentationem. Inter hos maxime explenduit SVAREZ, qui de ea ita subtiliter exposuit, vt nihil supra. Nam quae de actuoso Deo dici possunt, paucis verbis complexus est omnia,¹⁴ *esse scilicet Deum essentialiter viuentem, intellectualem vitam purissimam.* Praeterea monet,¹⁵ vitam Deo non *eminenter* tantum, verum etiam *formaliter* tribuendam esse, sed ita, vt antea, quicquid imperfecti reperiatur in rerum creatarum vita, acute disiungat. In hac enim duo,

11) in *Disput. de vita Dei*, 1677. Vi- 14) *Comment. de Deo vno et trino*,
temb. habita Lib. I. Cap. III. num. 13

12) in *prolegom. de I. B. et P.* §. 52 15) *Disput. Metaph. Tom. II. Disput.*

13) *de corrupt. art.* p. 363 XXX. Sect. XIV